



# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Melissa multilogua ...*



«de dolio haurire»

Augusta Emerita (hodie Merida) non solum fuit caput Lusitaniae, sed etiam urbs praestantissima in tota paentinsula Iberica tempore Romanorum. Quare ibi ante paucos annos exstructum est magnum lautumque museum ubi servarentur et exhiberentur pulchrae reliquiae illius aetatis. Inter quas elegimus hanc tabulam marmoream cum anaglypta imagine, unde intellegere possumus cur Latine dicatur «de dolio haurire» (Cic. Br. 288).

... Aestas ubique fuit Latinissima !

☞ p. 2

... Ubique ... exempli gratia in Bohemia !

☞ p. 5

... Vos omnes, ubicumque habitatis, procul dubio scitis Bruxellis esse statuam cuiusdam pueri, qui vocatur «Manneken Pis»; sed quis scit eum esse Latine celebratum ?

☞ p. 7

... Non pauci libri novi sunt vestrae bibliothecae addendi.

☞ p. 10

... Ecce altera pars tractatus linguistici.

☞ p. 13

... Et variis nuntiis ...

☞ p. 16

... Denique quarta symbola de moribus antiquis, quam exspectatis, spatio deficiente producetur in proximum fasciculum.

# RECOGITATIONES DE ANNO LATINISSIMO

PROPONIT GAIUS LICOPPE

**M**ense Aprili frequens praestansque conventus totus Latinus Montellae in Italia habitus, mense Julio concitans conventiculum Latinum in America septentrionali, mense Augusto seminarium extraordinarium Matriti in Hispania, haec nobis fuerunt continua miraque testimonia novae vitalitatis linguae Latinae. Fuit etiam optima occasio diversos homines conveniendi undique oriundos eorumque sententias opinionesque percipiendi.

\*  
\* \*

Pauci magistri, qui rem ipsi experti sunt, non dubitant quin linguam Latinam Latine docere non solum discipulis iucundius sit, sed etiam multo efficacius. Inter ceteros magistros, si quis hoc exemplum imitari cupit, statim comperit

facultatem linguae Latinae in docendo adhibendae non sine labore acquiri posse. Praeterea methodus ad eorum officium specifice aptata, quae eis sit adiumento, restat conficienda.

Praesertim in Europa multis obstaculis occurunt audaces magistri qui vivo modo discipulos docere volunt. Maximum obstaculum in eo est, quod institutionis publicae regentes hunc docendi modum vetant. Aliud obstaculum, primo vix minus, est inertia laboris plerorumque magistrorum, qui actuosioribus collegis obstant, ne ipsi eis fiant impares.

Praeterea plerique magistri adhuc vix quicquam sciunt de radicibus historicis Latinae institutionis, i.e. quem ad finem per tot saecula haec lingua culta sit. Memoria solum hoc retinent, quod ante duo saecula inventum est atque ex cathedra inculcatum, linguam Latinam esse mortuam. Feliciter inter conveticulum Lexingtonianum comperi magistros Americanos multo maiore libertate in docendo frui.

\*  
\* \*

Seminarium Matritense singulariter iucundum et frugiferum fuit propterea quod interfuerunt homines e multis diversisque civitatibus oriundi. Huic accedit quod miram hospitalitatem Hispanicam experiri potuimus, non solum publicam, nam Salmanticae sollemniter recepti sumus in studiorum universitate a rectore et in curia a burgimagistra, sed etiam privatam velut in villa Iohannis Puga, ubi cena valedictoria typice Hispanica vicinis iuvantibus parata est atque usque ad diluculum festive protracta.


Multi seminarli participes erant magistri linguam Latinam docentes. Interrogati tamen confessi sunt se non multum inserere posse vivi sermonis in cursum suum scholarem. Praeterea, quamquam moderator P. Caelestis Eichenseer pronuntiatum restitutum egregie docet, plerique magistri dixerunt se in schola fere cogi pronuntiatum localem adhibere.

\*  
\* \*



*Matriti inter cenam valedictoriam: P. Caelestis Eichenseer et Sigrides Albert moderatores seminarii.*






*Seminarii Matritensis excursio facta est Salmanticam in urbem pulcherrimam et antiquissimam, duce Iosepho Maria Sanchez Martin (a sinistris), qui etiam cum Augustino Cano effecit, ut seminarium in Hispania haberi posset.*

Inopinanter etiam consuetudinem iunximus cum consociatione magistrorum, qui linguas classicas docent in parte Nederlandophona Belgicae. Quae consociatio recenter condita vocatur V.L.O.T (Vereniging Leerkrachten Oude Talen). Eius praeses Dominus Andreas Paulus Deleersnyder (i.e. Scytomus, ut ipse Latine scripsit) Fundationem Melissam invitavit ad librorum didacticorum expositionem Gandavi participandam die 19 m. Septembris. Ei respondimus nos libenter esse participaturos, sed adiunximus nos vivam institutionem Latinam provehere velle atque lingua Latina uti solere in omnibus loquendi et scribendi commerciis. Res omnino mira: praeses Latine respondit et nos invitare perrexit. Quae cum ita essent, die constituto libros et praeconia non solum Fundationis Melissae sed etiam Societatis Latinae et Radiophoniae Finnicae exposuimus in oeco nobis reservato. Ibi etiam per totum diem imagines mobiles conventiculi Lexingtoniani et seminarii Matritensis in albo monstravimus. Initio frequentis sessionis inauguralis, praeses Fundationem Melissam verbis Latinis palam introduxit.

Die 26 m. Septembris noster circulus Latinus primam novi anni academici sessionem Bruxellis in Domo Latina habuit. Ibi etiam partes conventiculi et seminarii in albo monstravimus; praesentes videre et audire potuerunt et Terentium




*Inter Gandavensem expositionem librorum: Andreas Paulus Deleersnyder (a dextris) cum Gaio Licoppe.*

Tunberg et Caelestem Eichenseer quasi vivi adessent. Talia miracula cinematographica nunc facile fieri possunt novissimis instrumentis technica quae dicitur numerica praeditis. Post hoc spectaculum et subsequentes narrationes de hornotinis eventis Latinis disputatum est de optima ratione institutionis vivae proponendae.

De hac re ad nonnullas conclusiones pervenimus. Imprimis multa petuntur a moderatore. Oportet exemplum praebeat emendati sermonis Latini atque optimi pronuntiatus restituti. Non solum bonum exemplum suis verbis praebere debet, sed etiam singulos participes ad loquendum incitare. Inde oritur difficultas. Optandum enim est ut quam plurimi homines seminarium par-

ticipare cupiant, sed, quo plures sunt, eo brevius moderator singulos curare potest. Quare inter peritiores sodales inveniendi sunt nonnulli, qui moderatores adiuvare possint ad minores greges educandos. Hoc modo nonnulli notitiae gradus distingui poterunt, ne in eodem grege commisceantur ei, qui Latinitatem vivam primum aggrediuntur, cum eis, qui iam progressi sunt. Sunt etiam qui optent ut gradus quibusdam testimonii confirmantur. Praeterea multum iuvat themata in antecessum proponere, de quibus re iam explorata inter sessiones fusius disputari possit. Hoc est in votis, ut occasiones vivi sermonis Latini exercendi multiplicentur, respecta tamen eius veritate. ☩



*Seminarii Matritensis studiosi particeps (Victorius Ciarrocchi, Antonius Capellan et Robertus Deprez) atque cena valedictoria aliter studiosa (stans a sinistris: hospes noster Iohannes Puga)*



# BOHEMIA FIDICULIS CANTAT

NARRAT STEPHANUS FEYE

**A**nte duos annos contigit ut seminarium Latinum Brunense participarem in Moravia. «Contigit» consulto scripsi; nam indeoles mea, praecipue tempore feriali, ad itinera errantia sine ullo scopo facienda me impellere solet. Haec omnia ut non solus lector benignus, sed etiam Marius Alexa et Inga Pessarra, praesides Latinitati Vivae Provehendae Associationis, mihi veniam dent quod adventus meus similior Sancti Spiritus irruptioni esse solet (de quo dicitur: «Spiritus ubi vult spirat; et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat», Ev. sec. Iohannem III, 8) quam participationi sodalis regularis bene educati...

Ergo, anno 1996, contigit ut Brunaee adessem, nullam seminarii inscriptionem cursualem possidens. Noli mirari, optime lector, haec enim omnino vera sunt: lingua Anglicā mihi nullo auxilio fuit (eam enim illic ignorant homines) nec Theodisca (eam enim ipse nescio) ut locum invenirem, neque evidenter lingua Moravica, eadem causa, sed potius Latina! Nam plures sunt Latinistae in illis regionibus quam hic... etiam in viis!

Hoc anno, cum, pro dolor! impedirer ne seminarium Hispanicum participarem (schola enim mea c.n. Schola Nova aedificia ingentia nuper accepit ut suos XXX discipulos neolatinistas doceret, et multa nobis erant paranda in fine mensis Augusti), «contigit» ut irem piscatum aliquot dies... quo? - In Slovachiam exempli gratia. Statim intellexisti, lector prudens: in viculo Karlik prope Pragam, qui, casu, in itinere meo situs erat, sicut canis, indagavi odorem quendam Latinitatis vivae. Ibi enim pernoctabant multi Latinistae pleni, ut semper, enthusiasmi gaudiique. Moderatores visitatorem improvisum (i.e. me) acceperunt sicut Abraham Melchissedek, i.e. perhumaniter. Sic mihi licuit, inter multos sodales antiquos recentesque (aderant enim multi Poloni tirones), audire amoena verba publica quibus Marius Alexa participantes benigniter accipiebat et quoque cenare ad mensam Ingae Pessarra. Vinum? Optimum! Tempestas? Non poteramus meliorem cupere!

Die sequenti, i.e. Saturni die primo m. Augusti, facta est inaugaratio sollemnis in splendidissimo



palatio Lobcoviceo in centro Pragae sito, non longe ab ecclesia cathedrali. Bohumila Mouchová, quae docet in Instituto Graecitati et Latinitati Augendae in Facultate Philosophica Universitatis Carolinae, receptionem mirabiliter paraverat. Post brevem allocutionem eius atque aliorum eximiorum plausus multos suscitantem, occasio nobis data est auscultandi non solum egregium collegium musicum c.n. Stamic, cuius peritia in toto orbe terrarum iam nota est, sed etiam mirificam acroasis professoris Nicolai Sallmann Universitatis studiorum Mogontiacensis. Mirificam ac miram re vera: similitudines enim incredibiles revelavit demonstravitque inter Aenae Vergiliani et Christophori Columbi vitam! Certe omnibus cogitationibus eius non credendum est, sed quam iucunda fuit illa acroasis! Nam materia fere inexhausta est!

Quid postea accidit? Nescio! Ii enim piscatum. Spero tamen fore ut Inga aliquid de hoc scribat in fasciculo proximo Melissae.

Duae autem res mihi restant dicendae:

- In primis fortunam meam volo palam agnoscere: sunt enim mihi veri amici maxima humanitate qualitateque in tota Europa qui me tam liberaliter ex improviso accipiunt. De quo eis Latinitatique vivae gratias multas ago (etsi nescio tamen quid Inga faceret si unusquisque ex participibus eodem modo ac ego ageret!)

- Secundo, o ter quaterque beati populi illi urbsque splendidissima gloriosaque illa, qui a communis liberati sunt! Speremus fore ut successores eorum linguam Latinam restituant. Utinam consilia pretiosa Bohumilae Mouchová, profestricis insignis, sequantur! Vivat Latinitas Europaea!

iucundis Bohumila Mouchová. Cuius profestricis virtutes tam bene vobis notae sunt, ut non sitis dubitaturi, quin illi lumini philologiae classicae Bohemicae maxime debeamus, si tanto splendore excellunt Pragensia seminaria Latinitatis Viva: tam sagaciter excogitata, tam diligenter praeparata, tam strenue tamque amabiliter peracta.

Omnino novum argumentum etiam Nicolaus Sallmann sibi excogitaverat, quo inaugurationem seminarii ornaret. Nicolaus, professor inclutus Moguntiacensis et, non secus ac vos, in numero novissimorum sodalium (quamquam fortissimus tutor septimanarum Amoeneburgensium), de carmine heroico, quo Gaius Iulius Stella poeta Christophorum Columbum celebrat, orationem habuit sollemnem atque splendidissimam. Quamvis multis aliis officiis obligatus etiam proximis diebus indefatigabiliter docendo et agendo animos participum accedit et laetificavit.

## DE SEMINARIO PRAGENSI

REFERT INGA PESSARRA

De L.V.P.A.e hornotino seminario Pragensi ut aliqua vobis nuntiarem, ex me petivistis. Ad Melissae sessionem Bruxellis habitam venire non potui angustiarum temporis causa. Obsequar tamen libentissime, scribens per gregem [sc. interretiale] «Latine loquentium», in cuius nuntiis non pauca vidi de Seminario Vestro Matriti multo cum successu peracto.

Nescio autem, quomodo de L.V.P.A.e septima Pragensi vere memorabili epistolio parvo sat bene referam. Non mihi videor rerum et tractatarum et actarum copiam paucis posse complecti verbis.

De sola inauguratione verba facere iam plus erit quam epistula solet contineri. Bene novistis L.V.P.A.e esse morem, ut magna seminaria loco nobilissimo «festivum» in modum (ut dicere solemus) inaugurentur. Primum seminarium Pragense in aula Studiorum Universitatis Carolinae, secundum in Praemonstratensium monasterio Strahov (ubi ossa Sancti Norberti Xantensis custodiuntur atque coluntur) initium habuit. Hoc anno denique elegimus ipsam celeberrimam arcem Pragensem. In palatii Lobkovicci oecum pulcherrimum octoginta fere participes ex novem nationibus provenientes confluxerunt, maxime Poloni et Itali, Bohemi et Germani.

Praeclarissimum Pragense symphoniae collegium, quod a Carolo Stamic (vel Stamitz) nomen duxit, inaugurationem aperuit praebens nobis fidicinum quadricinium ab illo ipso compositore conscriptum. Tum Marius (noster) «anno a pace Vestfalica facta CCCL<sup>o</sup> et ab universitate Carolina condita DCL<sup>o</sup> omnes bene advenisse iussit, deinde verbis dignis atque

Eius orationem Americanam Americanum, quod appellant, quadricinium Dvorakianum est secutum, nota bene integrum! Finem autem fecerunt fidicines finale quadricinium nobis praebentes secundi magni compositoris Bohemi, Frederici (dico) Smetana, opus pulcherrimum et animum movens. Et hoc integrum? Scilicet et hoc. Non erratis, si hanc celebrationem potius concentum fuisse iudicatis quam solitam inaugurationem. Vix alio loco ac Pragae licebit hoc modo Latinitatis Viva: seminarium inaugurate, nam ubi gentium tot Latinistae, qui musicae favent, congregabuntur nisi in capite Bohemiae?

Sub divo postea licuit prandere, ambulare, arcem inspicere. In visenda ecclesia cathedrali Sancto Vito dedicata mystagogi Latini fuerunt studentes «nostri» Pragenses, non aliter atque in ea parte arcis, quae regia appellatur. Ibi locum illius defenestratio inspeximus, qua bellum triginta annorum ortum esse dicitur, cuius finis fuit pax Vestfalica. Bene accidit, quod domino hodierno arcis Pragensis, Venceslao Havel, paucis septimanis ante praemium pacis in urbe Monasterio Vestfalorum tributum est.

Potestisne imaginari, quantum me, quae in Vestfalia habito, hic dies moverit? Quam difficile est illarum horarum memoria non opprimi! Excusabitis, spero, si de aliis rebus confertissimi seminarii altera epistula narrabo. Valete!



# CARMINA HENRICI BASILII WIJNGAERT (ALIAS DE WIJNGAERDE) O.S.A. (1596(?) - 1664) [I]

PROPOSITA A THEODORICO SACRÉ

**T**res fere ante menses, cum in Bibliotheca regia Bruxellensi codices aliquot manu scriptos excuterem, quo plura de collegiis quibusdam Societatis Iesu Flandro-Belgicis comperirem, forte mihi spissus in manus est datus liber; ipso continebantur carmina maiorem partem Latina conscripta a viro cuius ne nomen quidem umquam audieram; nam in integumento libri ita erat scriptum: «frater Henricus Basilius Wijngaert Augustinianus Lovaniensis anno 1619<sup>1</sup>; carmina ipsa avidis percurri oculis; libro enim inerant epigrammata, elegiae, epithalamia, emblemata, eclogae, carmina gratulatoria, comoediae (veluti «comoediola prima de S. Eugenia virgine et martyre per syntaxianam iuventutem exhibita Lovanii A° 1619 13 Martii»).... Quae omnia diligenter evolvere nec volui (nam in poetas Societatis Iesu inquirebam, hic vero Augustiniani proponebantur versus) nec potui (nam volumen paginas habebat circiter quadringentas, horae mihi ad legendum supererant ad summum tres); percurri, inquam, non ignarus versus eos aliquid momenti aut habere quod veneribus poeticis non omnino carerent, aut habituros, si quis studiorum universitatis Lovaniensis vel collegiorum Augustinianorum Lovaniensis, Teneramundani, Bruxellensis annales perscribere statuisset. Ego vero paucis excerptis poematiis paucisque rebus in pugillares relatis, volumen ipsum seposui atque ad lesuitarum opera reverti, donec bibliotheca hora quinta clausa est. Lovanium inde redux facere non potui quin libros, quos domi habebam, perquirerem, si poetam forte memorarent; at frustra perquirebam. Itaque postero die in bibliotheca Lovaniensi omnes fere eos adii scriptores Latinitatis novae peritiores, qui nobis doce, ut aiunt, ignorantibus solaciolo solent esse; qui ne mentionem quidem poetae nostri iniecerunt: nam Sweertius, Andreas, Foppensius, Paquotius, Peerlkampius ceterique Bibliothecae Belgicae auctores virum praetermittebant; immo, et in elenco scriptorum neolatinorum quem habemus opimum optimumque<sup>2</sup>, Wyngaerdi nomen frustra requisivi. Denique succurrit mihi iam desperanti *Repertorium Ordinis Fratrum Sancti Augustini*<sup>3</sup>; inde enim didici Fratrem Wyngaerdum tria per decennia collegii Lovaniensis egisse

praefecturam; annos natum duodeseptuaginta Lovanii obiisse ineunte anno 1664; item iuvit me *Bibliotheca Catholica Neerlandica Impressa 1500-1727*<sup>4</sup>, in qua legi unum olim carmen Wyngaerdi typis fuisse excusum, cui titulus «Historia et miracula eiusdem miraculosae hostiae versibus posthumis exornata»<sup>5</sup>; denique poetam fuisse Wyngaerdum legi in commentatiuncula quadam de Augustinianorum collegio Lovaniensi.<sup>6</sup>

Quid multa? Miratus et vocem poetae amplam et altum doctorum silentium, etsi carmina cetera in aliud tempus distuli perlegenda mihi et pertractanda, unum tamen alterumve, quod me exscripsisse dixi, tibi, Melissae lector mellis amans poetici, proponere volui.

In delectu autem faciendo haud diu mihi aqua haesit; Melissa enim Bruxellis evolare solet; atqui haud deerant carmina Bruxellensia a Wijngaerdio litteris mandata, utqui et puerum illum versibus celebrasset, quo nemo ea in urbe clarior. Scin quis sit Manneke(n) Pis, quem vulgo vocant, virunculum mictitatem Latine nuncupare possis? Puer est; qui cum meiat, vita tamen non fruitur, immo statua est olim saxe, nunc aenea, caeco canaliculo ita instructa, ut virunculus ille vesicam onere numquam non oppressam iugi mictu exonerare videatur. Fonticulum eum fonticolamque puellum erectum in agro coenobii Carmelitani [cfr. v. 1] exeunte saeculo XVIII deleti et ab ipso urbis meditullio proxime distantem etiamnunc adire solent peregrinantes; stipant enim eum stupentque ac puerum usque mingentem promptis instrumentis photographicis in pelliculis lucis ope imprimere student: credas ipsos sibi aquae copiam imprecari perpetuam.

Constat autem statuam aeneam, quo eam tempore vidit poeta<sup>7</sup>, impositam fuisse septempedali columnae; nunc vero a tergo aedicula defendit saxe; tunc adiacuisse piscinas duas; nunc vero unicum ad effigiem accedit labrum. Virunculum aeneum anno circiter 1619 fudit Hieronymus Duquesnoy;<sup>8</sup> pueri mingentis imaginem lapideam imitatus, quae iam saeculo XV ibidem posita incolas commoverat et advenas. Nam

Daniel ille Heinsius (1580-1655), poeta Gandavo-Lugdunensis, qui eminuisse dicitur, ad quodcumque carminis genus se contulisset, dum anno 1609 iter in patriam facit atque inde Bruxellas devertit, Cupidine ut ita dicam illo captus est eumque versibus cecinit venustissimis.<sup>9</sup> Carmen ita inscribitur: *In Cupidinem Bruxellae iuxta labyrinthum artificiose factum, qui e fonte aquam iaculatur, ipsos versus si quis legere cupiat, adeat Delitias poetarum Belgicorum huius superiorisque aevi illustrium collectore Ranutio Ghero<sup>10</sup>: videbit vultum, capillos, membra Cupidinis in descriptione esse omissa; totum carmen contextum e rebus contrariis;<sup>11</sup> etenim Cupido videtur esse puer, at aquas mittit, non faces; purus, virgineus, castus mitigat ipse ardores Venereo:*

*Sentiat hunc ipsum si quis vitabit Amorem  
causaque nullius fiet amoris Amor.*

Quorsus hoc Heinsianum memoraverim carmen fortasse me interrogas. Propter hanc causam attuli, quod Wijngaerdiani quoque versus de statuae forma, facie, figura vix aliquid enuntiant; quod iidem versantur circa res contrarias interque se pugnantes; quod alludunt eroticis fabellis. Itaque Wijngaerdus et totum fere argumentum ex Heinsio sumpsisse, et verba, iuncturas, hemistichia eidem Heinsio aliquando surripuisse videtur. Nam ille:

*Castius hoc nihil est: tota est sine sordibus ullis,  
frigidior glacie frigidiorque nive;  
hic vero:*

*Castius hoc nihil est, totus sine sordibus ullis  
frigidior glacie, purior Hippolyto.*

Et Heinsius haec:

*Pro iaculis frigus, pro face mittit aquas. (...)*  
*Interiora tenet gelidus neque deficit humor  
et procul ex imis fontibus unda venit;*

Wyngaerdus vero:

*frigora pro flammis, pro face mittit aquas. (...)*  
*Viscera percurrit gelidus neque deficit humor  
et procul ex imis profluit unda tubis.*

Cetera imitamina sunt fortasse paulo subtiliora; quae cum recognoscamus, facere non possumus quin Heinsio palmam tradamus ut poetae primigeno; quem longo intervallo sequitur Wijngaerdus imitator, vir interdum ut in verbis diligendis, ita in syllabarum quantitatibus observandis parum felix (consulas appendices II).

**Topographia fontis fluentis in urbe Bruxell. [f.**

92r]

**vulgo «Mannekepis»**

Est prope Carmelin minctor Palinurulus aedem, fons e vesica meiere doctus aquas. Ferreus hunc caespes, cui stat custodia circum,

Romanisque parem fert columella diis.  
Urinam matella bibit, si dicere pax est,  
ferrigeros vena transiliente vepres.  
Non Amor urinam meit de fonte Cupido,  
non puer hic pharetram, tela facesve gerit.  
Reddidit obscenus non umquam quale Priapus  
lotium, at in cineres minxerat hic patrios.  
Aspice: virgineo nihil adversatur honesto  
inque verecundum nil facit amne puer.  
Qualis inurinat longe minctorculus alveo,  
aspice naturae seu libet artis opus.  
Innocuus puer est, cui mens stat conscientia recti,  
integer et vera simplicitate bonus.  
Castius hoc nihil est, totus sine sordibus ullis  
frigidior glacie, purior Hyppolito!  
Ne precor impediens urinam e fonte vibrantem:  
non tibi dat scandulum, scandala forte capis. 20  
Non opus a puero pudibundum avertere vultum,  
nil turpe est oculis, sola scatebra patet.  
Nil mea flamarum, non pruritumve Thalia  
Musa, probis cantat scandalum nulla viris.  
Dedecet in nudo nihil hic in corpore, quicquid  
masculum<sup>12</sup> celat masculus ipse manu.//  
Cui cedunt gelido salientia flumina rivo,  
[f. 92v]

30

sive, Arethusa, tuum, sive, Acidale, tuum.  
Aestivas iactet Romana potentia thermas  
et fontalitiis ductibus alta levet  
cornua, septuplici bellatrix nobilis arce,  
quam fluido genitor perstrepit ore Tibris.  
Non Hippocrenes natus fons Gorgone palmarum  
eripit aut victor Blandusianus<sup>13</sup> ovat:  
macte tua virtute, puer Palinurule, vitro  
o fons splendidior<sup>14</sup> Naiadumque decus  
tuque Napaearum non infima gloria et urbis  
arula, quam fluidis Zenna pererrat aquis.  
Limpidior puer o lymphis Hylaque puello  
carior, o Lycori Naiadi amate puer!

40

Auguriis fallar nostris: ne pulcher ut Hylas  
gurgite sub vitro Naiadi praeda fluat!  
Namque Venus puerum de more Cupidinis ardet  
et puerum Naïs, Naida puerus amat.  
Cederet in praedam Nymphis et damna pudoris  
saepe urinator ferret iniqua puer,  
ni tacitos nympharum ignes emingeret undis  
venaque nymphaeas stingeret uda faces.  
Spermata non futuit, Veneris pulmenta salacis:  
frigora pro flammis, pro face mittit aquas.  
Obstupeo steteruntque oculi (mirabile visu)  
sobrius unde undas masculus ille fluit.  
Pocula non Bacchi nec aquas infudit in ora  
nec visus lymphis exsatiare sitim,  
attamen effutit longas hydropicus undas  
nec sinit intercus ludere corpus aqua.//  
Fallimur aut oculis aut gustibus ora. Videtur  
[f. 93r]

50

urinam dare vir, fons dare fontis aquas.  
Hydropem populus, vultus hos saepe Napaeeae  
miratae hic celeres sustinuere choros.

60



Urinam o quoties pueri puer haurit amoenam  
rursus et in minctis ora supinat aquis!  
Gauderetque manu salientem sistere lympham,  
ausa nisi circum foeda vetaret obex.  
Hoc quoties ex fonte bibit mendicus, o amnem  
da, puer, et gelida mersat inerme caput.  
Accurrunt pueri lassi corpuscula lusu  
palmarisve pilae praecipitisve trochi  
atque sitim loti fontani<sup>15</sup> flumine pellunt  
et puerile rigat masculus imbre caput.  
Ridet; aquatilium projectibus urinarum  
uda pruinosis usque platea madet.  
Acceduntque coci crudas mollire periti  
carnes urina hac, terga coquenda bovis;  
matella excipiunt undas aut donec in ollam  
minxerit adversam sat, mora saepe tenet.  
At licet exspectent, non curret fistula rivo  
ocior, aequato vena fluore salit.  
Quod si forte tamen quis nudos oderit artus,  
induat, egregium syrma puerus habet.  
Attamen Imbricitor scrupulosos laedat ocellos:  
meiere non aliter, quam puer ante, potest.  
Viscera percurrit gelidus neque deficit humor  
et procul ex imis profluit unda tubis.  
Meiat et emingat numquam curratque puerus  
minctor et aeternis sit Palinurus aquis!  
Bruxellis voveo laribus regumque ducumque:  
masculus undoso ludat hydrope puer.  
Bellica vis aliis statuas dedit, hinc tibi constat  
quod procul et dudum, mascule, meis aquas. 90  
  
V. 1. Carmelin: Carmeleam ante corr.; vv. 71-72  
in mg. sunt additi.

\*  
\* \*

### **Epigramma in fontem «Mannekepis»**

[f. 93v]

Limpida Neptunus saturat tua viscera lymphis:  
si te fruge Ceres pasceret, anne caces?

\*  
\* \*

### **Appendices**

#### **1. Index verborum non antiquorum**

Acidalus (28) = Acidalius

Blandusianus (34) [= Bandusianus]: ad  
Bandusiam attinens

Carmelis (1) = Carmelitanus

Carmeles (1, appar.) = Carmelitanus

emingere (47) = mingere (cfr. Blaise in Lexico  
Latino Medii Aevi)

fontalicius (30) = fontalis

inurinare (13) = inurinari (antiquitus exstabat  
inurinandi verbum, sed sensu diverso)

minctor (1): qui mingit

minctorulus (13) = puer usque mingens  
Palinurulus (1): parvus Palinurus  
septuplex (31) = septemplices (cfr. Blaise in Lexico  
Latino Medii Aevi)

#### **2. Index prosodiacus**

alveo (13) vox disyllaba per synaeresin

Hylas (39; 41) producta priore syllaba

Lycoris (40) correpta altera syllaba

Naida (44) nomen disyllabum per synaeresin

matella (5; 75) producta prima syllaba

scandulum (20) = scandalum per ecthlipsim

scrupulosus (81) correpta prima syllaba (primam  
brevem habet scupulosus)

urinarum (71): versus spondiacus.

70

80

#### **ADNOTATIONES**

<sup>1</sup> Bruxell., bibl. regia, cod. 5051.

<sup>2</sup> A. Gerlo - H.D.L. Vervliet, *Bibliographie de l' Humanisme des anciens Pays-Bas*, Instrumenta Humanistica, III (Bruxellis, 1972); *Supplément 1970-1985* (...), réd. M. De Schepper avec la collab. de C.L. Heesakkers (Bruxellis, 1988).

<sup>3</sup> *Provincia Coloniae - Provincia Belgica* (auctoribus D. Verkerken et W. Grootaers) (Lovanii, 1996).

<sup>4</sup> (Hagae Comitis, 1954).

<sup>5</sup> Carmen libro est inclusum qui inscribitur *Historia et miracula SS. Hostiae anno 1374 Middelburgi in Zelandia in carnem conversae* (Lovanii, 1674) et decem post nostri obitum annis in lucem est editus.

<sup>6</sup> N. Teeuwen, 'Het college der Augustijnen te Leuven', *Augustiniana*, 1 (1951), 48-74.

<sup>7</sup> Anno, ni fallimur, 1627 exeunte vel 1628 ineunte; nam carmen proximum superius (f. 91r) die 19 m. Dec. anno 1627 est scriptum.

<sup>8</sup> Cfr. e.g. R. Jacobs, *Brussel. De geschiedenis in de stad* (Brugis, 1994), pp. 70-72.

<sup>9</sup> De fontaneis ut ita dicam poetis consulas quae scripserunt J. Bländsdorf - D. Janik - E. Schäfer, *Bandusia. Quelle und Brunnen in der lateinischen, italienischen, französischen und deutschen Dichtung der Renaissance*, Beiträge zur Altertumskunde, 32 (Stutgardiae, 1993).

<sup>10</sup> [= Iano Gruterol], II (Francofurti, 1614), pp. 984-986.

<sup>11</sup> Cfr. B. Becker-Cantarino, *Daniel Heinsius*, Twayne's World Author Series, 477 (Bostoniae, 1978), pp. 74-77. Ceterum post Heinsium et Wijngaerdum Cupidinem Bruxellensem laudavit Ianus de Bisschop poeta (fl. 1670-1700). Mitto scriptores e Francia oriundos, Micheletum, Baldelarium, alios.

<sup>12</sup> masculeus = masculinus. Vox haec non invenitur in *Thesaurus Linguae Latinae* neque in *Laterculis vocum Latinarum*, verum reperitur in lexico Gaffiotiano (e Ps.-Tertulliano).

<sup>13</sup> Blandusiae = Bandusiae (cfr. *Thes. Ling. Lat.* s.v. Bandusia; editio Horati Teubneriana Klingeriana in app. crit ad *carm. 3,13,1*).

<sup>14</sup> Cfr. Hor. *carm. 3,13* (carmen Bandusiae omnes fere poetae posteriores imitati sunt in fontium descriptionibus).

<sup>15</sup> Praestet fontanae vel fontano. At hic fortasse est nominat. plur. ☺

# «DE LARVA HISPANA»

DE FABULA NUBECULATA LATINE EXARATA REFERT CHRISTIANUS LAES

**L**ucii Luciaeque fabulas nubeculatas (Ned.: *Suske en Wiske*/ Francogallice: *Bob et Bobette*) lectoribus Nederlandis Flandrisque proponere vix dubito quin omnino supervacaneum sit, neque lectoribus Vallonis necessarium esse puto; aliis autem Melissae subnotatoribus prorsus oportere non ignoro. Quam seriem fabularum nubeculatarum iam inde ab anno 1946 delineavit conscripsitque auctor Antverpiensis Willy Vandersteen (1913-1990), cuius nunc sunt libelli numero plus quam ducenti. Quamquam Vandersteen iam octo annis ante vita functus est, series adhuc continuatur, novis quidem exemplaribus singulis mensibus in lucem editis, procurante officina quadam et successore c.n. Paulus Geerts.

Lucius et Lucia sunt duo pueri, valde amici, qui habitant apud amitam nomine Sidoniam. His quinquaginta annis vix quicquam est mutatum in illis (ut saepe fit in fabulis nubeculatis): non adolescunt, scholam adire non videntur, semper novis casibus iactantur. Amita Sidonia saepe ludibrio habetur, cum sit nimis macra, pedibus longioribus insuper praedita, necnon tutrix prudentissima et interdum nimis anxiosa Lucii et Luciae. Avunculus, qui nominatur Lambiorix (Ned.: Lambik) dicitur esse quasi gryllus hominis Belgici «classis mediae» quae dicitur: utpote stolidus, superbus, semper in vitae deliciis (in cibis nempe et in potibus) occupatus, mentis etiam nimis angustae. Rixari solet cum Sidonia, idque parvis de causis. His accedit Hieronymus (Ned.: Jerom) vir firmissimus et robustissimus qui omnes inimicos sua vi (nulla quidem potionē magica) superare potest.

Fabulam nubeculatam c.n. «De Larva Hispana» primum anno 1956 in lucem editam, nunc Latina veste induit vir Flandrus cui nomen R. Dehamers, qui iam ante octo annos aliam fabulam huius seriei («De secreto gladiatorum») in sermonem Latinum vertit. En argumentum «Larvae Hispanae». Lucius et Lucia avunculusque Lambiorix, cum in museo artificium pictoris Bruegel mirarentur, casu mirifico, adiuvante larva quadam, in annurn MCLXIVum pervenient in Flandriam, tunc temporis ab Hispanis occupatam. Ibi litterae absoloriae iis sunt reperiundae, quas falso

abscondiderat dux Alvae (legatus Hispanus hisce in regionibus), quibusque vicus Kriekebeek a crudeli oppugnatione Hispanorum liberetur. His litteris repertis, tandem larvae licebit formam suam deponere et in regna mortuorum abire, quippe cum ille, adhuc vivus, nuntius regis Hispani miserrimo casu epistulam amiserat ita ut in manus ducis Alvae perveniret ibique abscondita maneret. Amicis nostris, ut solet, res bene succedit: in fine fabulae epistula reperitur, liberatur vicus Kriekebeek. Quo tamen modo hoc illis contigerit, quique alii casus, et hilares et graviores, eis evenerint, hic non sum explicaturus ut lectores suspensos habeam.

Lepide conscriptus est totus liber: Latinitas certe discipulis, ut non sit ita difficilis, necnon magistris omnibusque amatoribus linguae Latinae placebit. Tamen pauca videntur annotanda. Auctor ipse in epilogo (p.71) loquitur de neologismis adhibendis. Bene animadvertis talia verba in versione sua omnino esse necessaria, cum complures res saeculi sexti decimi Romani non ita essent noti; recte etiam subiungit haec verba facile inveniri posse, cum peritissimi usque ad hoc tempus hodiernum iterum iterumque nova verba Latina invenerint et inveniant. Pro dolor non indicat quibus lexicis usus talia verba sibi invenerit, quod certe desideratur, quia nonnulla non ita bene facta esse videntur:

p.2: «camera obscura»



adhibetur ad machinam photographicam significandam, quae tamen omnino alia est res (vide: HELFER s.v. *Photoapparat*).

p.49: «granatum» dicitur pro verbo Nederlandico «granaat». Sed melius esset scribere «granata», quia «granatum» antiquitus ad malum spectabat (apud Columelam, 12, 42,1) (vide: HELFER s.v. *Granate* + *Granatapfel*).

Alii neologismi, cum non ita in lexicis inveniantur, mihi videntur esse paululum insoliti, quamquam facile intelleguntur:

p.10: «sclopetum ignivomum» (vide BACCI s.v *fucile*: manuballista *vel* ballista ignivoma; idem Bacci etiam *sclopeti* mentionem facit (adiectivo non addito); HELFER s.v. *Gewehr*: *sclopetum*).

p.33: «Major» dicitur pro urbis magistro. Auctor ergo adhibet verbum mediaevale (J.F. NIERMEYER, *Mediae Latinitatis Lexicon minus* (Lugduni Batavorum, 1976) s.v. p.628 n.8+9.).

p.37: «fistula bellica» neque apud HELFER (s.v. *Kanone*) neque apud BACCI (s.v. *cannone*) invenitur, quamquam ibi enumerantur complura verba possibilia (e.g.: *tomentum bellicum*, *tomentum aeneum*, et multa alia).

p.58: «globi ferrei» iterum videtur esse iunctura mediaevalis (R.E. LATHAM/D.R. HOWLETT, *Dictionary of Medieval Latin from British sources*. Vol. I (Oxonii, 1975-1997) s.v. *globus* 2d): *cannon ball*).

Pauca etiam displicant:

p 30: «Bruxellianus» ubi verbum «Bruxellensis» erat adhibendum (C. EGGER, *Lexicon nominum locorum* (Romae, 1985)).

p.50: «incepi» pro «coepi».

p.70: «casus vivere»- quae iunctura antiquitus non exstat (ThLL III s.v. *casus* k.579). Melius esset: «casus habere»/ «casus subire».

Ceterum ampla copia verborum auctor utitur quo fit ut verba rariora inveniamus veluti *caballus* (p.50), *gallinarium* (p.1), *circulatrix* (p.32), *utricularius* (p.58), *obturamentum* (p.65). In nomine vici ficticii *Kriekebeek* Latine vertendo, verbum «*Cerasirivi*» sibi configit (*kriek*= cerasus / *beek*= rivus).

In fine dicam hunc libellum esse revera lectu et visu lepidum, pulchrum et iucundissimum. Parvae maculae quas enumeravi, ne sint impedimentum emendi. Omnibus vobis suadeam ut ematis et legatis...


#### LIBRI ADHIBITI


W. VANDERSTEEN, *De Secreto gladiatorum*. In Latinum convertit R. Dehamers, auxiliantibus G. Lesaffer et P. Claes (edidit Standaard, 1990).

W. VANDERSTEEN, *De Larva Hispana*. In Latinum convertit R. Dehamers (edidit Standaard, 1997).

A. BACCI, *Vocabolario Italiano-Latino. Delle parole moderne e difficile a tradurre* (Romae<sup>3</sup>, 1955).

C. HELFER, *Lexicon Auxiliare* (Saraviponti<sup>3</sup>, 1991).





## DE NOVIS LIBRIS

J. LJSEWLJN, D. SACRE, *Companion to Neo-Latin Studies. Part II: literary, linguistic, philological an editorial questions. Second entirely rewritten edition, Supplementa Humanistica Lovaniensia XIV, Leuven, University Press, 1998.*

Hic est alter tomus illius «Comitis» qui primum editus est anno 1977. Secunda editio multum aucta dividenda fuit in duos tomos, quorum prior (*Part I: history and diffusion of neo-latin literature*) in publicum propositus est anno 1990.

Ad rem describendam non opus est multis verbis: dicamus hanc esse Bibliam studiorum neolatinorum. Ea, quae a tempore Renascentiae Latine conscripta sunt - copia inaudita! - hic ostenduntur: poesis, drama, prosa, litterae scientificae, et quidem usque ad nostra tempora, cum agatur de hodiernis periodicis, etiam electronicis. Insper tractatur de neolatina lingua, de stilo, de lexico, de prosodia et metrica, de editionibus, de catalogis, adiunctis multis indicibus (nominum, geographicus, argumentorum rerumque notabilium, codicum manu scriptorum, verborum notabilium).

Sola res dolenda: tantum opus non esse, secundum exemplum Erasmi et ceterorum, Latine scriptum!

***Medieval Latin. An Introduction and Bibliographical Guide, edited by F.A.C. MANTELLO and A.G. RIGG, Washington, The Catholic University of America Press, 1996.***

Sicut «Comes» supradictus est Biblia neolatinitatis, ita hoc magnum opus, etiam Anglice conscriptum, est Biblia Latinitatis mediaevalis. Mirum in modum omnia, quae scire vultis de illo tempore, ibi invenietis: indices librorum, periodicorum, lexicorum, auctorum, textuum, auxiliorum informaticorum, commentationes de Latinitatis mediaevalis orthographia, pronuntiatio, grammatica, lexico, metrica, de stilo prosaico et lingua humanistica (utraque a Terentio Tunberg conscripta), de relatione inter linguam Latinam et linguas vernaculae, atque etiam quid Medio Aevo Latine tractatum sit: res ecclesiasticae, administrativa, iuridicae, philosophicae, grammaticae, musicae, cottidiana, scientifical, technologicae, et multa alia, adiunctis indicibus auctorum veterum et hodiernorum.

**S. ALBERT, *Imaginum Vocabularium Latinum, Saarbrücken, Societas Latina, 1998.***

Hoc lexicon digne succedit «Tabulis imagineis» a Caeleste Eichenseer olim editis et nunc divenditis. Optimum propositum est verba Latina imaginibus illustrare. Is enim, qui hoc videt:



(pārcōmētrūm, p. 122-123) vix eget pluribus explicationibus. Cum tamen utile etiam sit verba vernacula invenire, dimidia pars operis constat ex indicibus, qui sunt index Latinus (cum versione Theodisca, Italica, Hispanica, Francogallica, Anglicula) et index Theodiscus, Italicus, Hispanicus, Francogallicus, Anglicus. Nonnulli errores, qui sunt in indice Francogallico, non impedient, quin verbum desideratum facile inveniatis.

Verba proponuntur ad vitam cottidianam pertinentia; itaque inveniuntur et antiqua et nova et etiam omnino nova, sicut trānsmōdūlātrūm (modem) et tēlēphōnūlūm gěstābilē. Adnotemus oportet quantitates vocalium et accentus in singulis vocabulis esse indicatos.

Nunc quaestio lusoria: scitisne quid sit analectris? et superinstitorum? et integumentum astrictorium? Responsum p. 14, p. 110 et p. 112!

**T. PEKKANEN, R. PITKÄRANTA, *Nuntii Latini IV, Helsinki, Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, 1998.***

«Delegatus Radiophoniae Finnicae Generalis, dum peregrinatur, propter Nuntios Latinos laudibus et gratulationibus saepe afficitur. Idem interrogatur: 'Quam ob rem Latini nuntii, quam ob rem in Finnia?' (p. 5). Hoc enim est Finnorum proprium miraculum, quod rectoribus Radiophoniae suadere valuerunt, ut emissiones Latinas in publicum proponerent, et quod hoc continuo fecerunt ab anno 1989 (mox decem anni!), et quidem magno cum plausu. Utinam Thomas Pekkanen et Georgius Pitkäranta plurimos annos pergent nuntios Latinos ad nos mittere! Atque utinam aliis in societatibus radiophonicis et televisificis homines eis invideant et aemulentur, ut res Latinae ubique proponantur!

Hoc autem libro nuntii continentur a mense Septembri a. 1995 usque ad mensem Augustum a. 1997 editi, una cum summarisi Finnicis et Anglicis, adiuncto lexico verborum modernorum.

Si vobis est accessus ad Interrete, Nuntios Latinos ipso emissionis die legere poteritis: <http://www.yle.fi/fbc/nuntii.html>. Etiam est inscriptio cursualis electronica: nuntii.latini@yle.fi; si moderatores Latine interrogaveritis, Latinum accipietis responsum.

**Erasme et l'Angleterre, sous la direction de A. Vanautgaerden, Notulae Erasmiana II, Bruxelles, La Lettre volée à la Maison d'Erasme, 1998.**

Huius libri prima virtus lectori evolventi statim apparet: est pulcherrimus. Et in charta papyracea, et in typographia, et in dispositione textus cura posita est ut lector sibi videretur manu tenere librum tempore Renascentiae editum.

Continetur «Ode Erasmi Roterodami De Laudibus Britanniae Regisque Henrici Septimi ac Regiorum Liberorum, Carmine Hexametro et Lambico Trimetro Acatalectico», textus Latinus cum versione Francogallica facta ab Alano Van Dievoet et Alexandro Vanautgaerden, multis adjunctis adnotationibus. Inest etiam versio Francogallica (a Maria Delcourt confecta) epistulae, quam Erasmus Duci Henrico anno 1499 dicavit, prooemium de Erasmi arte poetica atque textus acrosticis, quam Iohannes Claudius Margolin specialistae philosophiae illius temporis anno 1994 Francogallice fecit in Bruxellensi Domo Erasmiana sub hoc titulo: «Erasme et l'Angleterre». ☺

## DE LINGUA LATINA SENTENTIIS PERLONGIS (II)

(ADUMBRATIO LINGUISTICA)

PARS ALTERA ORATIONIS LEXINGTONIAE HABITAE A PETRO HRANDEK

**C**onsideremus has formas:  
a:A( $\alpha$ )A et  $\alpha$ :A(a)A,

quae quodam modo similem structuram habent, etsi prima forma apud veteres non reperitur. Si utraque forma vere Latina esset, homines facile cognoscerent, quam formam ante oculos haberent. Atqui spectemus duo exempla:

*Cum secundum leges Keplerianas constitutus sit, cursus stellarum errantium, quamquam ellipsis est, linea recta esse videtur.*

et

*Quamquam ellipsis est, cursus stellarum errantium, cum secundum leges Keplerianas constitutus sit, linea recta esse videtur.*

Scimus: cursus planetarum ellipsis est. Quod theorema astronomicum ex primo exemplo faciliter cognosci probabile est. In exemplo altero leges Keplerianae falsa causa lineae rectae esse videntur. Significatio rerum vera auxilium fert in structuris grammaticis cognoscendis. Immo vero egomet ipse non numquam addubito, ad utrum schema mihi perfugiendum sit. Difficile enim est iudicare, utrum

cum coniunctio cum causale an cum concessivum sit. Experimenta statistica, quae conscientiam grammaticam collectivam probent, rem illustrare posse puto.

Deinde comparando perspicimus scriptores Latinos veteres sententias subiectas saepe praeposuisse. Quem usum vel veterum morem spectantes schemata probativa novo modo distinguere possumus.

Grammatici structuram grammaticam sententiae veram eadem ratione cognoscunt ac psychologi veram significationem imaginis ambiguae. Processus cognoscendi semper processus dijudicandi est. Verba mea fabella suppleantur. Consideremus has sententias miras, quae ab artificibus informationis vel programmatoribus excogitatae esse dicuntur:

*Time flies like an arrow.*

*Fruit flies like a banana.*

*(Tempus fugit ut sagitta, id est: tempus fugit cito pede.*

*Muscae fructuariae bananam diligunt.)*

Linguistae universitatis praeclarissimae in Massachuseta sitae abhinc triginta annos programma computatorium scripserunt, ut sen-

tententias linguae Anglicae in elementa, id est partes orationis, automatice partirent. Ut programma probarent, sententiam simplicissimam *Time flies like an arrow* in computatrum indiderunt. Linguistae valde admirati sunt, quod programma hominibus multo astutius fuit. Nam sententia ambigua est, ut ex hac tabella videmus:

<i>Verbum</i>	<i>pars orationis</i>	<i>significatio</i>
time	substantivum	tempus
flies	adjectivum verbum (temporale)	e.g. temporis volat
like	substantivum particula verbum (temporale)	muscae ut amant

*Tabella III: Significatio ambigua sententiae probativaे*

Linguistae sibi et computatru responderunt iocantes: *Fruit flies like a banana*. Alii *time* verbum temporale (modum imperativum) esse suspicantes dixerunt: *Sorry, I have no time* (Ignoscas rogo, mihi tempus non est) vel *Sorry, I'm not a tamer* (Ignoscas rogo, domitor ferarum non sum).

Illud lepide dictum, quod ad rem veram reducitur, demonstrat, quo modo formae et significaciones coniunctae sint. Simili modo ambiguam esse eam quoque verborum compositionem, de qua disputamus, probabile est.

Hactenus de methodis psychologiae, quae cognitiva vocatur. Aditum alium ad problemata sententiarum perlongarum aperit disciplina linguistica quantitativa; quem brevissime disputabo.

Diligenter observando perspicimus quantitates linguisticas nonnullas (ut litteras, verba, syllabas, morphemata) secundum leges mathematicas distributas esse. Exempli gratia e litteram in multis linguis frequentissimam esse scimus. Quae imago linguae statistica quibuscumque quantitatibus linguisticis dilatata fundamentum sit in disputandis acroasis rebus ratione statistica.

Linguistae quantitativi methodos statisticas adhibent, ut omnes partes trianguli, quod linguisticum vocant, describant: quae sunt proprietates linguarum naturalium, textuum genera, scriptorum stilus. Quamquam multae mensurae et complicatae in usu sunt, tamen duae simplicissimae satis esse videntur: verborum longitudo media et sententiarum longitudo media.

Verborum longitudo est numerus syllabarum, ex quibus verbum constat; verborum longitudo media ( $v^*$ , i.e.  $v$  stellatum) est quantitas media omnium verborum longitudinum textuum exempli

probativi repraesentativi (quod corpus linguisticum vocatur).  $v^*$  ab Augusto de Morgan, mathematico Anglo, introductum est. In epistula verborum longitudinem medium mensuram peraptam ad stilum cuiusdam auctoris describendum esse se arbitrari scripsit. Quamobrem Morgan interdum pater linguisticae quantitativae appellatur.  $v^*$  pendet ex lingua, textu, auctore, quod auxilio simplicissimarum calculationum demonstrari potest. Sunt, qui pro numero syllabarum numerum litterarum adhibeant, quod non est magni ponderis.

Sententiarum longitudo est numerus verborum, ex quibus sententia constat.  $s^*$ , sententiarum longitudo media, simili modo ac  $v^*$  definitur.

Denique multitudinem  $\{v^*, s^*\}$  par characteristicum nominare volo; cuius elementa enim quasi characterem linguae mathematice describunt.

Villelmus Fucks, physicus et linguista quantitativus Germanus, quantitates statisticas adhibuit ad comparandas linguas naturales et describendos stilos auctorum, inter alias verborum longitudinem, frequentiam et distributionem verborum ex i syllabis constantium, par characteristicum iam supra memoratum. Praeterea novam mensuram introduxit, quae perapta esse videtur ad describendas proprietates sententiarum, textuum, linguarum uno numero:

$v^* \cdot s^*$  ( $v^*$  multiplicatum per  $s^*$ ).

Quadam ratione  $v^* \cdot s^*$  (productum characteristicum nominare velim) nota distinctionis linguistica magni momenti est; qua adhibita linguistae et sententiarum longitudinem et verborum tumorem metiri et describere possunt modo obiectivo, id est numeris, qui in formalis natura linguarum et textuum positi sunt.

Ecce tabellae, in quibus nonnullae quantitates afferuntur:

<i>Lingua</i>	<i>v*</i>
Anglica	1,4064
Theodisca	1,6819
Esperantica	1,8950
Arabica	2,1036
Graeca	2,1053
Iaponica	2,1564
Russica	2,2295
Latina	2,3920
Turcica	2,4588

*Tabella IV: Proprietas quantitativa linguarum naturalium*

Textus	v*	s*	v*.s*
Livius I	2,49	30,3	75,45
Livius II	2,48	30,5	75,64
Cicero	2,36	22,2	52,39

Explicatio:

Livius I significat *ab urbe condita* lib.1, cap.1  
 Livius II significat *ab urbe condita* lib.5, cap. 47  
 Cicero significat *orator* cap.1

*Tabella V: Proprietates quantitativae generum textuum*

Secundum primae tabellae numeros, qui ex Villelmi Fucks operibus sumpti sunt, linguae automatice identificari possunt, quod est problema bene notum cryptographiae. Conclusiones quidem statisticae sunt et in probabilitatibus mathematicis positae sunt. Ut paululum iocer: nunc tandem didicimus, qua ratione mathematici linguis distinguere soleant. Praterire nolo, quod programmata ad identificandas linguis inveniuntur etiam in illo rete computatorio maximo, quod internet vocatur. Quae programmata simplicia sunt et in similibus ideis nituntur ac methodi a Fucks adhibitae.

Quod ad numeros alterius tabellae attinet, locos scriptorum temere elegi et quantitates v\* et s\* dinumerando determinavi. Ne quid dubii relinqueretur in determinanda sententiarum longitudine, solum quattuor sententiae notas finales accepi: punctum, signum exclamacionis, signum interrogationis, signum citationis. Cum exempla non repraesentativa sint, dispersionem numerorum magnam esse appareat; tamen rei naturam cognoscimus. Ut animadvertisimus, productum characteristicum (v\*.s\*) aptum est ad distinguenda textuum genera. Deinde v\* et s\* alterum ex altero pendere videntur. Quotum s\*/v\* crescente quantitate s\* ad limitem stabilem convergere suspicor: quae res est investigatu digna. Cum sententiae perlongae rarissimae sint, pro certo affirmare possumus quantitatum medianum esse limites superiores. Quae res linguisticae quantitativae est maximi momenti, etsi temporis causa in hac acroasi praetereo. Postremo evidens est paria characteristica ordinatas et abscissas systematis coordinati plani ita definire, ut regiones auctorum, textuum sentiarum brevium aut longarum aut perlongarum, linguarum quarundam determinari et comparari possint.

Ne horror rerum mathematicarum oriatur, in hoc acquiescamus. Nihilominus problemata linguistica sine ulla difficultate ordine mathematico tractari posse videmus, ut iam Benedictus de Spinoza ethicam ordine geometrico demonstravit.

Ut concludam, ea, quae in acroasi cogitata et disputata sunt, complectar. Capite grammaticae

Latinae ad sententiarum compositionem pertinenti selecto demonstrare conatus sum, quanti momenti theoria sententiarum perlongarum esset. Formalem linguam introduxi, cuius ope grammatici structuram periodorum describere solent. Aspectum gravem in formandis sententiis Latinis perlongis ostentavi: structurae sententiarum quaedam, quamquam secundum leges grammaticae facile et libere formatae, bona Latinitati deesse videntur. Cuius Latini proprietatis inopinatae causas persecutus auxilio methodorum psychologiae et linguisticae quantitativae investigavi. Quae disciplina linguistica ansam dedit ad disputandam rem acroasis sub specie altiore.

Deinde non dubium est, quin ideae theoriae sententiarum perlongarum varias disciplinas alere possint. Ubi cumque hominibus doctis copiae informationum ingentes tractandae sunt, quibus mathematici, physici, chemici, biologi recondita informationum catenarum perlongarum indagant, sive in investigandis et persequendis genorum notis animalium, sive in determinanda implicazione algorithmorum mathematicorum, fortasse res linguisticae simplices aptae ad resolvenda problemata disciplinarum diversarum sunt.

Spe ducor rerum bene notarum partibus in acroasi nova ratione tractatis vestros animos me incitavisse ita, ut res hic disputatas ipsi investigetis. Nam multae quaestiones tractatu dignae sunt: ut demonstravi, theoria periodorum nonnulla problemata insoluta profert; necesse est novas disciplinas, novas ideas adhibere, novas vias ingredi, ut talia problemata solvantur. Quod ad theoriam sententiarum perlongarum pertinet, grammaticis praecipue contendendum est ad determinandos limites: investigandum est, quae forma periodi frequentissima sit, quot formae inveniantur, quot et quae formae longitudinis sumptae sint. Cum linguae naturalis multitudo quodam modo aperta sit, regulae grammaticae novae indagandae vel excogitandae sunt, quae partim ex longitudine, partim ex altitudine sententiarum pendent. ☙

LIBRI ADHIBITI, COMMENTATIONES ADHIBITAE

H. Broch, *Der Tod des Vergil*, Zürich, 1947.

W. Fucks, Unterschied des Prosastils von Dichtern und anderen Schriftstellern, *Sprachforum*, 1. Jahrgang, Heft 3/4, pp 234-244, Münster/Köln, 1955.

P. Hrandek, *De disciplinae linguisticae computatoriae methodis ad problemata linguae Latinae adhibitis (oratio habita in Feris Latinis)*, Nice, 1992.

P. Hrandek, *De structura quantitativa linguae Latinae (oratio habita in Feris)*, Nice, 1995.

H. Menge, *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik*, Monachium (München), 1962.

K. F. von Nägelsbach, *Lateinische Stilistik (editio anastatica)*, Darmstadt, 1980.

E. Springhetti, *Lexicon linguisticae et philologiae*, Roma (Roma), 1962.

## DE ERASMI LONGISSIMO ITINERE •••

Erasmus in Iaponia? Re vera non agitur de ipso Erasmo, sed de quadam statua lignea, qua repraesentatus est.

Anno 1598 quattuor naves Nederlandicae Amstelodamo solvunt Iaponiam petiturae. Una ex eis, «De Liefde» (i.e. Amor) nominata, ornata est statua Erasmi, propterea quod primum nomen huius navis fuit «Erasmus».

Longissima, incommoda et periculosa tunc temporis erant itinera maritima. E quattuor navibus, sola «De Liefde» usque ad Iaponiam pervenit. Hoc fuit initium quaestuosi et diuturni commercii, quod Nederlandi cum Iaponibus habuerunt.

Navis tamen «De Liefde» non integra appulsa est in Iaponiam. Sedit enim in harenosis vadis litoris cuiusdam parvae insulae meridionalis. Partes confractae navis in terram dederunt, inter quas Erasmi statua magno cum respectu ab incolis recipitur: eam ducunt effigiem cuiusdam sancti Christiani atque statuam reverenter condunt in templo. Ibi tria saecula servata est.

Ineunte hoc saeculo, occasione expositionis rerum Iaponiarum in Europa factae, curator Musei Maritimi Roterodamensi inter photo-

graphemata exposita effigiem Erasmi agnovit. Documentis archivi adhibitis demonstrare potuit statuam, quae in photographemate conspiciebatur, re vera esse eam, qua ornabatur navis «De Liefde».

Tunc temporis musei curator frustra conatus est statuam a Iaponibus redimere. Dixerunt hoc fieri non posse, quod statua numeraretur inter «thesauros nationales».

Hoc autem anno in memoriam navis «De Liefde», qua ante quatuor saecula initium commercii inter Nederlandiam et Iaponiam factum est, Iapones Erasmi statuam Nederlandis commodant. In patriam summa cautione reportata, nonnullos menses exhibebitur in Museo Maritimo Roterodamensi. ☙



## RIDICULA !

In pernoto diario Francogallico «Le Monde» die 18 m. Sept. huius anni edito leguntur haec: «Latinistae Fundationis Vaticanae, quibus 'Lexicon Recentis Latinitatis' conficiendum est, diu incubuerunt in vocabula vertenda velut blue-jeans (bracae linteae caeruleae), hot-dog (pastillum botello fartum), on-line (directe colligatus), rock and roll (saltatio 'nuta et volvere'), slip (parvum subligaculum), topless (strophio carens); quae vocabula necessaria sunt ad textus officiales Ecclesiae componendos.»

Hunc perfidum articulum legendo duplex

ridendi occasio nobis praebetur. Prima de Francogallis, qui ipsi idonea vocabula Francogallica non invenerunt ad has Americanas locutiones exprimendas. Altera de Vaticanis, qui censuerunt necessarium esse tales ethnicas caducasque locutiones circumlocutionibus Latinis exprimere, cum multo dilucidius fuissest ethnicas locutiones originales in textus inserere, subiuncta Latina notula expiatoria. Praeterea ad «topless» exprimendum exstat optimum vocabulum antiquum, quod est «expapillata» (Pl. Mil. 1180). ☙

## LATINE LOQUI !!

Spatio deficiente non possumus multa addere de anni proximi Latinis conventibus, sed iam praenuntiare possumus a. 1999 seminarium Belgicum actum iri a die 7 in diem 14 m. Augusti

atque in America iterum duo fore conventicula, mense Maio (a die 23 in diem 31) et mense Iulio (a die 23 in diem 31).

De quibus mox plura! ☙